



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXV. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. Vt ad eligendum
Neapolitanae ciuitatis episcopum aliquos ex clero Romam transmittat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Dynamio patricio.*] Illi opinor qui ante annos decem Massiliensis prouinciae rector fuerat sub Guntramno, & Theodorum episcopum multis modis vexarat, ut refert Gregorius Turonensis libro 6. cap. ii. Extant & Fortunati ad eumdem Dynamium Massiliensem versus lib. 6.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORII PAPÆ I.
AD PETRVM SVBDIACONVM.

De Festo episcopo a ciuibus suis contempto.

Gregorius Petro subdiacono Campaniae.

QVERITVR Festus frater & coepiscopus noster a suis se clericis ac ciuibus despici atque contemni. Pro qua re experientia tuae præcipimus, vt tranquilla eos adhortatione conuenias, quatenus sedatis, si quæ forte odiorum causæ sunt, mutua eos & Deo placita caritate conciliess: vt & ille quod filii de cet impendat, & illi quod patri oportet exhibeant. Si quæ vero alia causæ sunt, prædicto episcopo te impendere præcipimus, salua tamen iustitia & æquitate, solatum.

Mense Maio, indictione undecima.

EPISTOLA XXXV.

GREGORII PAPÆ I.
AD EVMDEM.

Vt ad eligendum Neapolitanæ ciuitatis episcopum aliquos ex clero Romam transmittat.

Gregorius Petro subdiacono Campaniae.

SÆPIVS a vobis Paulus frater & coepiscopus noster expetiit, vt eum ad propriam reuerti faceremus ecclesiam. Quod quia rationabile esse perspeximus, eius petitionem necessario duximus adimplendam. Proinde experientia tua clerum ecclesiæ Neapolitanæ conueniat, quatenus duos vel tres de suis eligere & huc ad eligendum episcopum transmittere non omittant. Sed & sua nobis rela-

tione insinuent, quoniam ii quo transmiserint, omnium in hac electione vice fungantur, ut ecclesiæ illi Deo auctore suus antistes valeat ordinari. Nam amplius eam sine proprio non patimur esse rectore. Qui si fortasse admonitionē tuam quolibet modo differre tentauerint, ecclesiasticum in eos vigorem exerce. Nam prauitatis de se dabit indicium, quisquis in hoc non sponte consenserit. Prædicto autem Paulo fratri & coepiscopo nostro centum solidos & vnum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro labore suo de eadem ecclesia facias dari. Illos autem qui cunctorum vice huc venerint ad eligendum episcopum, admone vt vestiarium omne episcopi sui sciant deferendum, & quantum præuiderint secum argentum adducant, quod in vsu suo habere possit qui fuerit episcopus ordinatus. Hæc vero omnia viuaciter districteque imple re festina, & sub omni huc celeritate electos, sicut diximus, de clero transmitte: vt quia diuersi hic nobiles ciuitatis Neapolitanæ præsentes sunt, vna cum eis de episcopali ordinatione & tractare, & adiutore Domino deliberare possumus.

EPISTOLA XXXVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD SABINVM ET ANTHEMIVM.

De Ianuario episcopo Romam perducendo, & de
Epiphanii presbyteri facinoribus.

Gregorius Sabino defensori Sardiniæ, & Anthemio subdiacono.

QVÆDAM ad aures nostras grauia peruenierunt, quæ quoniam canonicam emendationem expectant, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, quatenus vna cum Ioanne notario, omni excusatione postposita, Ianuarium fratrem & coepiscopum nostrum summa huc exhibere instantia non omittas; vt eo coram posito, ea quæ ad nos perlata sunt subtili valeant indagatione perquiri. Pompeiana vero atque Theodosia religiosæ feminæ iuxta postulationem suam, si huc venire voluerint, vestra eis in omnibus præbete solatia, vt desideria sua vobis queant succurrentibus adimplere: præcipue autem Isidorum eloquentissimum, sicut petiit, studii vestri sit per omnia vobiscum

Concil. Tom. 13.

Q q ij